

3.

*R. (Bamberger Vitztum?) an den Reimser Archidiacon O(do):
bittet, einen entlaufenen Scholaren zur Rückkehr nach Bam-
berg zu veranlassen. (1062 Mai—Juli.)*

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 46.

Domno suo archidiacono O.¹ R. suus.

Tam incommodis et inhumanis intervallis locum nostrum ab urbe Remorum recessisse plurimo animum meum excruciat dolore. Quid enim in hoc rerum genere miserius, quid magis inominatum, quam ut ieiunum nimis et tenue litterarum obsequium ei prestare nequeas, cui quicquid homini ab homine prestari possit debeas? Vestris tamen partibus divina quedam auspicia favere subattonitus intelligo, ut me novis et singularibus beneficiis identidem accumuletis. Incidit enim et nunc occasio, qua ex facili vestris in me utamini moribus. Frater enim N., hominis vestri certe amantissimi vobisque deditissimi, dolo alieno, ut est illa etas inops consilii, circumventus, quasi discipline scolastice severitas atrocius in eum grassaretur, fuga lapsus iam fere hinc anno abscessit, iam nunc, si vera comperimus^a, apud vos^b agit cum aliis tribus canonicis nostris. Verum aliorum vel exitum vel reditum equi bonique consulimus: de se ipsi viderint. Pro isto ego fraterque suus unice vobis supplicamus, ut ei quacumque ratione dementissimi propositi receptum persuadeatis. Novi ego vos in obeundis negotiis, quam scilicet et prudenter modestiam et modeste prudentiam exerceatis, et certe sic mihi persuasi: si vos, ut ille ait², 'nervos intendatis', ille iam rediit. Haut negaverim tetricam illam et horribilem violatę discipline vindictam animo illius observari, usque eum velud Orestem illum poeticum furiis agitatum ab sano consilio abhorrere. En vobis certum id fixumque polliceor, si vestro imperio et patrocinio committendum^c putaverit, nichil fore, quod non e vestro arbitratu et sententia in eum statuatur. Pluribus agerem, sed quę mea in vobis fidutia, quod vestrum est in me studium, ut hęc satis sint, verissime auguror. § Exemplis Tullianis membra.³

3. ^a) operimus c. ^b) nos c. ^c) committedum c.

¹) Der Archidiacon Odo ist der spätere Papst Urban II. ²) Terenz, Eunuchus 2, 3, 20. ³) Der Schluß ist offenbar verstümmelt.